Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 451

Quelle:
Copyright:

brum quoque difficilium ſententiarum tam veteris quam novi teſtamenti patravit, ipſumque Anticimenon *appellavit.* Conſentit *Leo Oſtienſ.* L. I. C. 32. his verbis: *Cujus* (Bertharii) *et* Anticimenon *de plurimis tam veteris quam novi Teſtamenti quæſtionibus hic habetur.* Quin *J. B. Marus* in *not. ad Petri Diac. c. cit.* addit: Librum hunc manu exaratum literis *Langobardicis* ſub nomine *Bertharii* in *Bibliotheca Aniciana. Hiſpanorum* itaque videtur eſſe, productis vetuſtis Exemplaribus Ἀντικείμενα noſtra *Juliano* ſuo contra *Bertharium* vindicare. Illum Scriptores Seculo VII. hunc IX. adſignant.

II. *fol.* 69. ſequitur: *B. Abbatis ſententia de officiorum concordia. Bernhardi* vetus Poſſeſſor thecae anteriori *Codicis* adſcripſit, ſed tu lege *Bernonis;* eſt enim Excerptum ex *Bernonis* Abb. *Augienſis,* qui an. 1048. vitam clauſit, *Libro de Officio Miſſae,* ſeu, ut apud *Hittorpium* p. 419. inſcribitur, *de quibusdam Rebus ad Miſſæ Officium pertinentibus,* atque adeo *Caput* V. non tamen integrum hujus *Libri,* quo Autor exemplo XXII. *Dominicarum,* quae a *Pentecoſte* decurrunt, oſtendere conatur, *Miſſæ* partes, puta: *Introitum, Graduale, Verſum, Orationem, Evangelium, Offerendam* &c. mire ad idem pium argumentum conſpirare. Tractat vero *Codex* noſter materiam hanc uberius, quam vel apud *Hittorpium cit.* vel *Bibl. PP. Lugdun.* T. XVIII. p. 56. invenias. Initium nobis eſt: Dominica I. *Domine in tua.* Gr. *Ego dixi.* V. *Beatus qui intellegit.* Off. *Intende voci.* Com. *Narrabo omnia. Nonne his uocibus uidetur tibi prophetа in uoce pauperis lazari uel in perſona ſanctę eccleſię hoc quidem tempore* (ob Schiſma trium Paparum?) *pauperis et afflictę ad deum proclamare* &c. Ab hac *Dominica* in *Editis* ſtatim ad *Quintam* tranſilitur, Noſter etiam interjectas expendit. Et ſic porro plura alia ſe offerunt diſcrimina. Terminatur Excerptum: *ſuper uno peccatore penitentiam agente.*

III. *fol.* 74. *Incipit de Infantia Salvatoris.* Inſcribendum potius erat: *De Nativitate Mariae.* Maxima enim Fabulae pars agit de *Joachim* et *Anna,* de Virginis nativitate et educatione, de ejus et *Joſeph* conjugio, quibus *Chriſti* nativitas, *Magorum* adoratio, et iter in *Agyptum* ſubjungitur. Initium eſt: *Erat Vir in Hieruſalem cui nomen erat Joachim ex tribu iuda et ipſe erat paſtor ouium ſuarum. timens deum cum omni familia ſua* &c. Finis: *Non poſt multum tempus dixit angelus ad ioſeph. Reuertere in terram iuda mortui ſunt enim qui querebant animam pueri.* In *Catal. Libb. rarior. Bibliothecae Canon. Regular. Novacellenſis* in *Tyroli* notatur *Hiſtoria Pulchra de S. Joachim et Anna ſ. l.* et *a.* ſed Literis, ut videtur, *Bämleri Auguſtani f.* quam noſtram praeſentem eſſe putem. Ceterum, qui *Evangelium de Nativitate Mariae, Protoevangelium Jacobi* et *Evangelium Infantiae Chriſti* legerit, quae *J. Alb. Fabri-*